

“ Dices, eadem a Regnero de Graaf jam olim notata. Evidem non negaverim illustrem hunc prosectorum in libro suo de organis mulieribus non modo similem tubam delineasse, Tabula xix, fig. 3, sed & monuisse, ‘ tubas quamvis secundum ordinariam naturæ dispositionem in extremitate sua notabilem semper coarctationem habeant, præter naturam tamen aliquando claudi ;’ verum enimvero cum non meminerit auctor an id in utraque tuba ita deprehenderit ; an in virgine ; an status iste præternaturalis sterilitatem inducat : an vero conceptio nihilominus fieri possit ; an a principio vitæ talis structura suam originem ducat ; sive an tractu tempora ita degenerare tubæ possint ; facile perspicimus multa nobis relictæ esse problemata quæ, utcumque soluta, multum negotii facessant in exemplo nostro. Erat enim hæc femina maritata, viginti quatuor annos nata, quæ filium pepererat quem vidi ipse, octo jam annos natum. Dic-igitur tubas ab incunabulis clausas sterilitatem inducere : quare hæc nostra semina peperit ? Dic concepisse tubis clausis ; quomodo ovulum ingredi tubam potuit ? Dic coaluisse tubas post partum : quomodo id nosti ? Quomodo adeo evanescere in utroque latere fimbriæ possunt, tanquam